

ac specie magna videantur, que danti aut extorquen-
tur aut excidunt. Multoque gratius venit quod facili,
quam quod plena manu datur. Exiguum est, quod in
me contulit, sed amplius non potuit. At id quod dedit,
magnum est, sed dubitavit, sed distulit, sed cum daret
gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit, & placere
ei cui prestabat noluit. Ambitioni dedit, non mihi.
Hæc eleganter ac sapienter Seneca, paucis omnia
fere liberalis signa & conditiones complexus.

§. XII.

Inter
prodi-
galita-
tem &
avari-
tiam
tenen-
dum
mediū.

Ultimo loco agendum hic quoque esset de Medio,
quod liberalitas observat; sed nolumus longius hæc pro-
sequi. Sane ut prodigi & decoctores bonorum suorum o-
lim infames fuerunt; ita e contrario avaritiæ quoque ma-
gna est turpitude & fœditas. Quæ enim in aliis vitiis a
vera norma abhorrentia seorsum deprehenduntur, hic
fere se se offerunt universa, quæ pinguem adeo flagitiorum
materiam præbent, quo sensu ab Apostolo I. Tim. VI. 10. ra-
dicem malorum omnium avaritiam dictam esse constat.
Et quam miser est avarus, cum vincto vel ægro recte com-
parandus? Avarus enim ita habet divitias, quemadmo-
dum vinctus catenas habet se vincientes & constringentes,
quarum non dominus est, sed servus: vel quemadmodum
habere febrem dicimur, quæ nos habet. Ea quippe, mo-
nente Seneca, invasit homines habendi cupido, ut possi-
deri magis, quam possidere videantur. Adsit igitur pe-
cunia amplissima, si avarus es, non habes eam, si prodigus,
non habebis. Felix ille, cujus navicula inter duo hæc ex-
trema cursum medium tenet, ita ut evitet & Scyllam, &
Charybdim.

T A N T U M.